
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE

Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Bochum

für das Schuljahr 1873—1874,

womit

zu der am 31. Merz stattfindenden

Entlassung der Abiturienten

im

Namen des Lehrer-Collegiums

einladet

der

Director Dr. Richard Seidel.

Inhalt: 1. Commentationis de Graecorum hyporchematis pars prior. Vom Oberlehrer Dr. (Karl Hermann) Walther
2. Schulnachrichten. Vom Director.

1874.

Gedruckt bei Wilh. Stumpf in Bochum.

Constantine fund

Commentationis de Graecorum hyporchematis pars prior.

Hyporchematum genus unum fere ex multis illis Graecae poesis melicae partibus non satis accurate adhuc ab hominibus doctis tractatum neque uberiore qua par erat commentatione illustratum est. Quare quid mirum, quod de illo haud paucae et difficillimae quaestiones in suspenso sunt eaeque maxime dignae, quae in liquidum perducantur? in hyporchematum enim naturam si quis se insinuare velit, ei non modo perscrutandum est, qualis sit ars et proprietas poetica, verum etiam explorandas esse constat multas res, quas haec aetas poesi adventicias putet; sed hae ipsae accessiones, quum hyporchematum quasi nervi potissimum sint, quod parum ad nostrae memoriae notitiam pervenerunt, magnopere dolendum est. Quae quum ita sint, sponte apparet in his nihil fere statui posse, quod ab omni parte certum sit, neque ideo tam quid sit verum quam quid verisimile, esse quaerendum. Indidem quum summae difficultates obstent, credo factum est, ut haec materia hauddum satis diligenter tractata sit: quam quum equidem tractandam mihi sumpserim, spero fore ut, si qua in re erraverim, quod non uno loco ne factum sit vereor, ob eandem causam mihi venia detur ab existimatoribus harum rerum peritis. Ceterum omnes quae exstant quaestiones, etiamsi possem, solvere neque spatium huius libelli neque temporis angustiae mihi permittunt: satis habebo tum quae alii homines docti excusserunt congessisse, tum in medio posuisse quod hic illic, quantulumcunque fuit, novum mihi videor invenisse.

Sed ne in praefando nimius sim, huic scriptioni meae credidi eandem dispositionis rationem subiiciendam esse, quam in dissertatione inaugurali, quae de nomo scripta est, nuper secutus sum. Quatuor igitur sunt partes, in quas haec commentatio aptissime maximeque dilucide disponenda mihi visa est: primum, ut quod etymon *ὑπορχήματος* et quae ex hoc deducenda sit primaria significatio quaeramus, deinde, ut quae adumbrationes illius exsistant apud veteres scriptores demonstremus, tum, ut unde hyporchema originem traxisse videatur et quae per quos poetas ceperit incrementa exponamus, denique ut disseramus de reliquiis hyporchematum huic aetati traditis et quae ex iis elici possint.

Primum igitur

I.

De hyporchematis nomine

disseramus ac videamus quae sit inde deducenda significatio.

Plato, quem Dionysius Halicarnasseus libri *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων* quum aliis locis tum V. pag. 94 (ed. Reisk.) ducendarum etymologiarum rectaeque nominum compositionis gravissimum auctorem nominat,

in eo dialogo, qui Cratylus inscribitur, pag. 407 A de nomine Minervae facete disputans haec habet: *τὸ.. ἢ αὐτὸν ἤ τι ἄλλο μετεωρίζειν ἢ ἀπὸ τῆς γῆς ἢ ἐν ταῖς χερσὶ πάλλειν τε καὶ πάλλεσθαι καὶ ὀρχεῖν καὶ ὀρχεῖσθαι καλοῦμεν.* Illi Halicarnassei iudicio tantum abest, ut quivis Graecis litteris mediocriter doctus subscribat, ut philosophum originationibus suis saepenumero lusisse magis quam docuisse affirmet; sed de notione, de usu vocabuli si quaeritur, quem auctorem locupletiorem exhibere possumus quam Platonem? *Ὀρχεῖσθαι* igitur Plato arguit usurpatum esse apud Graecos de quovis corporis motu artificiosiore atque actuosiore. Hanc ipsam notionem subesse voculae illi nescio an inde confirmem, quod de origine vocabuli coniici liceat, quamquam qui nominum verborumque etymis seu originibus investigandis operam dederunt, eos nimia saepe cura et diligentia in aliorum offensionem incurrisse haud ignoro. Atque ‚*ὀρχεῖσθαι*' quidem vocabulum ad eandem radicem *ΟΡ* — referendum esse putant nonnulli homines docti, unde *ὄρνυμι, ὀρίνω*[1]) cet. profecta sint. Cui sententiae fidem facere videtur *ἔρχομαι*, quod simili modo a simili radice *ΕΡ*[2]) — ducendum est, et *πάσχω*. Utcunque haec res se habet, qui sit verbi usus, id quod majus est in hac quaestione, ambigi non licet. Ponitur, si quid video, ‚*ὀρχεῖσθαι*' de singulis iisque artificiose saltantibus, quare sexcenties *ὄρχησις* coniungitur cum arte scenica (cfr. Luc. de saltat., Plut. quaest. conviv. IX. 15); contra ‚*χορεύειν*' usurpatur de choro choreas ducente. *ὑπορχεῖσθαι* verbi quaenam sit significatio, indicat Lucianus de saltat. § 16, quum dicit[3]) in Delo insula consuesse puerorum chorum ducere choream, segregatos ab his saltasse optimos, qui ex iis eligerentur; ‚*ὑπορχεῖσθαι*' igitur dicuntur ii, qui aliis saltantibus, ut ita dicam, subsaltant. At vero, quoniam *ὀρχηστικῇ καὶ ποιητικῇ*, ut Plutarchus l. c. § 12 ait, *κοινωνία πᾶσα καὶ μέθεξις ἀλλήλων ἐστὶν*, tum saltantibus solebat accini tum cantantibus subsaltari. Atque saltatio quidem carminibus quibusdam frequentata nominabatur (cfr. Athen. XIV. pag. 631 C *ἡ ὑπορχηματική ἐστιν ἐν ᾗ ᾄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται*, quo loco intelligit saltationem, non carmen) hyporchematica; saltationis figuris nescio quibus significabantur ea, quae viva voce canebantur. Qua de causa ‚*ὑπορχεῖσθαι*' denotat ‚saltationes ad cantum accommodare', contra ‚saltantibus succinere' designat ‚*ὑπᾴδειν*' (cfr. Luc. l. c. § 30 *πάλαι μὲν γὰρ οἱ αὐτοὶ καὶ ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο· εἶτ' ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν).* Ergo *ὑπορχήματα* primo appellantur sollemnia nonnullorum tripudia, quae aliis saltantibus adnectuntur, deinde transfertur idem nomen, quum vocabula *ὑπᾴσματα* vel *ὑπῳδαὶ* in Graecorum usum non venerint, ad carmina eiusmodi saltationi attemperata, *τὰ ᾄσματα τοῖς ὑπορχουμένοις προςᾳδόμενα.* Hanc vim subiicit Athenaeus voculae, si l. XIV. pag. 628 D dicta esse hyporchemata contendit ea carmina, quae ad poetarum praescriptum saltarentur. In eandem sententiam scribit Proclus[4]) (ed. Gaisf. 384): ‚*ὑπόρχημα*' *τὸ μετ' ὀρχήσεως ᾀδόμενον μέλος ἐλέγετο. Καὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ τὴν ΥΠΟ ἀντὶ τῆς ΜΕΤΑ πολλάκις ἐλάμβανον*[5]). Addo, quamvis sit perlevis, interpretationem Anonym. ap. Cram. an. Oxon. IV. pag. 314, 16: *ὑπόρχημά ἐστι ποίημα πρὸς ὄρχησιν γεγραμμένον πρὸς τὸν αὐτὸν ῥυθμὸν ὃ δὴ ὑπορχηματικὸν καλεῖται.*

Ex his omnibus, quae a me adhuc allata sunt, satis elucet hyporchematicum genus insignitum ac distinctum esse a ceteris melicae poesis generibus eo, quod latiorem exspatiandi campum aperuit arti orchesticae, sed quantum omnino illi commissum sit spatium, minus constat: nostrae quidem aetatis homines artis illius rationem, quippe quam quum a cultioris vitae usu summoverint et abstraxerint tum ex rebus sacris ejecerint et exstirpaverint, cogitatione depingere vix possunt. Quare

---

1) de his cfr. G. Curt. griech. etymol. (ed. III.) pag. 323.

2) ibid. pag. 64, 508, 653 sq.

3) Hunc locum videsis infra pag. 8 exscriptum.

4) Quantum et quam ob rem Procli de his rebus iudicio tribuendum sit, exposui cap. II dissertationis meae inauguralis, quae inscripta est ‚commentationis de Graecae poesis melicae generibus particula' Hal. Sax. 1866.

5) Idem interpretamentum novit Schol. ad Aristoph. av. 1426, cfr. Piers. verisim. pag. 227.

quae saltationum figurae hyporchematicis carminibus suppositae esse videantur, ne verbo quidem nunc attingere neque volo neque possum: si quis hac de re accuratius et clarius quid proferre se posse confidat, beatus ille terque beatus habendus[6]) et magnus certe mihi erit Apollo. Quamvis ab viris doctis indagetur ac pervestigetur, nihil aliud erui posse puto quam quod Aristoteles ab exordio, quem de poetica (cap. I § 6) scripsit, libelli proposuit: *οἱ ὀρχησταὶ διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμοῦνται καὶ ἤθη καὶ πάθη καὶ πράξεις*[7]).

Iam vero videamus

II.

quemadmodum veteres scriptores adumbraverint hyporchema.

Hyporchemata iam denotata esse apud Homerum voluerunt veteres quidam grammatici neque ita multum, quantum equidem intelligo, a vero aberraverunt, quamquam id potissimum, in quo cuiusvis quaestionis cardo vertitur, neglexerunt parum solliciti, num loci quibus suum munirent genuini essent an, ut multifariam est, posteriorum interpolatorum figmentis inquinati. Sic schol. Venet. ad Il. I. 473 et ibidem Eustathius scribunt: *πέντε εἰσὶν ᾠδαὶ παρὰ τοῖς ἥρωσι: σωφρονιστική* (velut Od. III. 267) . . . *ἐγκωμιαστική* (Il. IX. 189) . . . *θρηνητική* (Il. XXIV. 725) . . . *ὀρχηστική* (Od. VIII. 379) . . . *καὶ παιανική* (Il. I. 473). Dilucidius disserit Athenaeus I. p. 15 D *οἶδε δὲ ὁ ποιητὴς καὶ τὴν πρὸς ᾠδὴν ὄρχησιν* (Od. VIII. 262 sq. Il. XVIII. 572 sq.) . . . *ὑποσημαίνεται δὲ ἐν τούτοις ὁ ὑπορχηματικὸς τρόπος, ὃς ἤνθησεν ἐπὶ Ξενοδήμου καὶ Πινδάρου.* Similiter Lucianus (l. c. § 13), qui huc revocat Od. VIII. 262 et Il. XVIII. 590.

Iam si quaerimus, quid sit, quod ad nostrum consilium eliciamus ex locis Homericis, in prima acie ponendus est Il. XVIII. 590—606, cui subnectimus Od. IV. 15—20, locum sine ulla dubitatione subditicium. Statim in ipso limine incurrimus in magnam difficultatem dissensione Aristarchi, cuius viri auctoritatem in his rebus aspernari nefas est, allatam. Is scilicet, ut accepimus ab Athenaeo V. pag. 180 C sq., ex Cretico choro cantorem exemit deleto utrubique hoc versiculo:

μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς
φορμίζων· — reliqua idem sic constituisse dicitur:
πολλὸς δ' ἱμερόεντα χορὸν περιίσταθ' ὅμιλος
τερπόμενος[8])· *δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ' αὐτοὺς*
μολπῆς ἐξάρχοντες[9]) *ἐδίνευον κατὰ μέσσους.*

Oblocutus est ipse Athenaeus l. c. infitians v. v. Od. IV. 15 vel 17—20, qui in Aristarchea recensione accessissent, esse retinendos non minus quam singularem illum versiculum, quem dicunt inculcatum ex Od. XIII. 27, expungendum: suffragatus est F. A. Wolf (proleg. p. 263), Nitzsch, Bekker, alii. Aristarchi contra patrocinium avidius quam prosperius suscepit Fritzsche (ind. schol. aest. Rostoch. 1842) et ab eodem stetit Ameis. Odysseae loco autem versus illi num tollendi sint et excernendi an retinendi et defendendi, quum iidem redeant in Iliade, nihil refert ad propositum consilium: nostrum esse videtur indagare, utrum versiculus ‚*μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς φορμίζων*' ab Aristarcho recte eximi possit necne. Atque suo quidem jure Fritzsche haec extricat: ‚si Iliadis locum Aristarchus recte constituit, plane

---

[6]) cfr. Kock ‚de parabasi antiquae comoediae Atticae interludio' progr. gymn. Anclam. 1856, pag. 11; H. Schmidt, die antike Compositionslehre, pag. 350.

[7]) de hyporchematica saltatione plane ac diserte Athen. I. pag. 15 D explicat esse eam imitationem actionum, quae verbis exponantur.

[8]) Ad lectionem vulgatam *τερπόμενοι*, ut codex Venetus A suggerit, grammaticus *τῆς διπλῆς* notam apposuit explodens, ut videtur, illam *κατὰ σύνεσιν* structuram.

[9]) Vulgata est *ἐξάρχοντος* scil. *τοῦ ἀοιδοῦ* eademque haud dubie praeponenda.

sequitur apud Cretenses saltatorem et cantorem unum eundemque fuisse: sin Aristarchea crisis improbanda est, illud tamen manebit Aristarchum certe de hoc Cretensium more nihil dubitasse.' At vero errasse hominem illum totius antiquitatis facile doctissimum hac in re mihi persuasum est. Ubicunque apud heroas saltatur, ibi etiam accinitur atque cantu praeit plerumque citharoedus[10]: quodsi *δοιὼ κυβιστητῆρε* ut *μολπῆς ἐξάρχοντας* cecinisse dixeris, quonam quaeso modo fieri potest, ut iidem, qui tam dispari corporis agitatione motuque excandescunt, qui nunc capita rotant iactantque pedes, nunc exsiliunt terramque percutiunt, nunc genua flectunt ac residunt — ut petauristae igitur edant vel regant cantum, quem, qui adstent, facile percipiant? Nam Lucianus quod scripsit *πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ κτλ.* (de saltat. § 30, cfr. supra pag. 4), id susque deque habendum est: pensites velim totius loci contextum; praeterea causa, qua factum esse dicit, ut veterum mos mutaretur, quum facetius excogitata quam verior sit, rei fidem plane debilitat. Adde quod cantui vel, si nondum opinio mea tibi satis probata est, saltationi attemperari necesse erat citharam aut aliud musicum quodlibet organum: quid enim est saltatio sine modis musicis? quam ingratum, quam ieiunum quamque futile! Musicam autem ex illa saltatione plane tolleres, si stares a partibus Aristarchi. Monodiae porro Euripideae non erant vocandae a Fritzschio in partes: ne ipse quidem facere non potest, quin profiteatur sibi quoque longe aliam earum rationem visam esse. Nempe, etiamsi verum est plerasque monodias habuisse saltationem — esse autem ita satis manifestat Platonicum illud (de leg. VII p. 816 A) — tamen id luce clarius est in monodiis saltationem ad vividae gesticulationis modum revocatam secundas tantum partes egisse, in hyporchematis autem paene primas tenuisse: quare quominus monodias, ut sane res per se postulabat, unus idemque et saltaret et caneret, nihil officere debuit. In hyporchematis denique, ad quae, quum saepenumero nuncupentur Cretica, causidicus Aristarchi ille confugit, nullam causam video, qua fiat, ut ille versiculus exsulet. Caveas igitur ne temere sollicites locum Homericum Il. XVIII. 604[11].

Quae si vera disputata sunt, tres omnino in hyporchematico, quod haud dubie in hisce Homericis latet, genere videntur discernendae esse partes agentium: et *χορὸς ἠϊθέων καὶ παρθένων* et *θεῖος ἀοιδὸς φορμίζων* et *δοιὼ κυβιστητῆρε*. Idem numerus redit in simillimo loco, in exordio hymni Homerici in Apollinem Pythium v. 10—25: canunt Musae; earum cantilenae subsaltantes Gratiae, Horae aliaeque deae chorum, quem supra primum posui, efficientes;

ἐν δ' αὖ τῇσιν Ἄρης καὶ ἐΰσκοπος Ἀργειφόντης
παίζουσιν, igitur *κυβιστητῆρσιν*

illorum vice fungentes; musici denique provinciam administrat Phoebus Apollo *ἐγκιθαρίζων*. Eaedem tres partes postmodum retinentur: hyporchema factitatur a cantoribus, saltatoribus, musicis. Chorus ille primus, sive e iuvenibus sive ex puellis constat sive ex utrisque miscetur[12], cantorum partes suscipit, quo munere apud Homerum ipsum vacat: de industria fortasse poeta officium illud choro iniungere noluit[13] propterea, quod

---

[10] Idem firmant Il. XVIII. 570; Hesiod. scut. 281; Od. VIII. 262, etiamsi canticum hoc de Martis Venerisque amore spurium extrudas. Una excipitur saltatio *σφαιριστική* (Od. VIII. 372): at ea utpote *μουνὰξ* saltata non eo consilio factitatur, ut saltantes ipsi delectentur, sed ut ostentent, quam singulari valeant arte; erat igitur rei caput saltatio, non cantus; alias tum temporis cantui saltatio quasi subsecive addi solebat.

[11] Unde factum esse mihi videatur, ut Aristarchus versum illum deleret, infra pag. 9 conferas.

[12] vid. Hom. Il. l. c., Athen. XIV. pag. 631 C. *ἔστιν ὑπορχηματικὴ ὄρχησις ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν.*

[13] Chorici carminis omnino apud Homerum obvii iniectam esse disertam mentionem vix investiges. Chorus eum, qui solus canit, id quod videmus ex Hom. Il. XVIII. 572, non nisi conclamando et saltando *μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε* excipere solet. Idem cadit in naenias, quarum vestigia in lessu Hectori habito (Il. XXIV. 745 sq.) multi sibi videntur invenisse. Neque Achillis *θρῆνοι* a novem Musis decantati (Od. XXIV. 60), quoniam ultimus Odysseae liber haud dubie ceteris multo minoris est aetatis, huc revocandi sunt. Paeanes denique ut Il. I. 472 et XXII. 391 commemorentur, parvi mea interest, quum hi loci sint fide ambigua (cfr. G. Bernhard.

postea demum rei mutatio illa accidit, ut chorus etiam caneret; ad quam mutationem viam videmus iam patefactam in hymno qui dicitur Homerico, cujus conditor Homero ipso minor aetate erat: in hoc enim cantus iam non uni citharistae, sed pluribus, Apollini et Musis, demandatus est. Neque tamen iidem, qui chorum canentium efficiebant, saltatione abstinebant, sed ad carminis numeros sedate movebant se modicisque omnino gestibus utebantur: Graeci scilicet tanta sunt alacritate, ut, si quid pronuntient aut cantent, non possint quiescere aut corpora continere, sed usque se agitent; quibus rebus incitantur animi, iisdem corpora moventur. Quem quidem civium suorum morem in septimo de legibus libro, quem locum modo commemoravimus, Plato verissime significavit: eum vero plane ignorat nostra aetas, quum is nostratium cantorum usus sensim invaluerit, ut statuis ne dicam taciturniores, at immobiliores sint in canendo. — Qui canunt iidemque saltant, ut me ad propositum referam, ii plerumque videntur circa vel iuxta aram inter se redamtruasse, ut Etymol. Magn. tradit[14]), talibus propemodum gestibus usi, quales cogites a tragico choro in orchestra saltante atque canticum edente exhibitos esse: huic saltationi succinit chorus ipse carmen quoddam diei festo et ceteris sollemnibus caerimoniis accommodatum, quod ipsum ‚hyporchematis' nomine nuncupatum est (cfr. pag. 4).

Chorus, de quo modo disputavimus, quum partes faciliores ageret ideoque numero maior, ut videtur, esset, circumdabat aut prope se positum habebat alterum chorum fortasse minorem ex peritissimis artis saltandi hominibus constantem: hi saltationem affabre excultam, quae proprie vocatur *ὑπορχηματική*, exercebant et proinde ac subsequentis aetatis pantomimi, qui ex his ipsis exorti sunt, res cantici versibus significatas symbolice adumbrabant ac gesticulatione exprimebant. Symbola vero et gestus quum per se incerta essent neque haberent sensum nisi ex usu compactoque substratum, factum est, ut res gesticularia ad artis modum veniret certisque normis intercluderetur. Iam quia non poterant omnia, ut Diomedis grammatici (ap. Putsch. p. 489) de hac re verbis utar, simul apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant inter actores pro facultate et arte potiores, principatum sibi artificii vindicabant. Quem ad modum potiores inferioribus, id quod ab ipsa hominum natura ductum est, servire dedignabantur, ita mimi in suo artificio ceteris cedere nolebant. Cantu igitur aut penitus expulso aut parcissime retento evasit ex hyporchemate pantomimus, de quo Lucianus in libro, qui inscribitur ‚*περὶ ὀρχήσεως*', uberrime disserit. Pantomimum, a Graecis satis neglectum, Romanis vero maxime acceptum, num liceat huc referre, quispiam haesitaverit, sed, utut res se habet, iuvat et ad id, quod hic appetimus, utile est animadvertere, quae similia sint in usu populorum propinquitate proximorum. Sic quod Livius Andronicus in ludis Romanorum scenicis immutasse fertur (vid. Liv. VII. 2), maxime attingit hyporchematis Graeci

---

Graec. litt. hist. II, 1. pag. 499) aut, nisi mecum facias, eorum dissensio sic dirimitur, ut ab praecipuo aliquo cantore — is erat *ἐξάρχων* — paeanem esse decantatum, a ceteris, qui aderant, versum intercalarem, *παιονικὸν* illud *ἐπίρρημα*, iteratum statuas. Ubique igitur in libris Homericis videmus solum cecinisse citharistam, alios autem, qui adsint, aut subsaltasse (Od. I. 150, 159; XVIII. 304 alias) aut attente aures praebuisse canenti.

[14]) E. M. pag. 690, 41 *ὑπορχήματα ἅτινα ἔλεγον ὀρχούμενοι καὶ τρέχοντες κύκλῳ τοῦ βωμοῦ καιομένων τῶν ἱερείων.* Eodem auctore saltationem sic instituebat chorus: *ὅτε δὲ περιέτρεχον τὸν βωμόν, ἀπίεσαν πρότερον μὲν ἀπὸ τοῦ ἀριστεροῦ μέρους ἐπὶ τὸ δεξιὸν κατὰ μίμησιν τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς τὴν ἐναντίαν τῷ οὐρανῷ ποιεῖται κίνησιν ἀπὸ δυσμῶν ἐπὶ ἀνατολὰς φερόμενος. ὕστερον δὲ πάλιν ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν ἴεσαν κατὰ μίμησιν τοῦ οὐρανοῦ. τελευταῖον δὲ πάντα τὸν βωμὸν περιέτρεχον.* Saltationem illum semper in modum institutam esse nemo facile opinabitur, sed prona est suspicio modo adversis frontibus et firmis ordinibus, ut Homerus docet, saltatum, modo orbem versatum, modo alias quaslibet figuras saltatas esse, prout ipsum carminis argumentum suppeditaret aut chorodidascali arbitrium imperaret. Quam rationem E. M. indicavit, ea non semper, sed interdum usu venit, quum chorus ad sacrificia canticum aliquod decantabat, quod saltationis ornatum aut postularet aut non repudiaret. Hunc saltandi morem permultis carminibus choricis communem grammaticorum inscitia inculcavit solis hyporchematis, in quibus homines diverso tempore diversum in modum saltasse auctor E. M. plane ignorasse videtur. Ceterum causa, qua factum esse dicitur, ut modo dextrorsum modo sinistrorsum procederetur, sapit magis otiosam lusionem quam sanum iudicium.

actionem: is enim quum saepius revocatus vocem obtudisset[15]), venia petita canticum cantori alicui ad tibicinem decantandum demandavit, ipse vero egit aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Tres igitur illae partes hic quoque redeunt. —

Vulgo quidem duas tantum partes in hyporchematis statuunt, homines symphoniacos et eos, qui simul et cantaverint et saltaverint: at actuosiorem quandam factitatam esse saltationem eamque ab aliis quam, quos vulgo credant, quum nomen ipsum ostendit tum claris verbis arguit praeter Homericos, quos supra nominavi, locos Lucianus § 16: *ἐν Δήλῳ*, inquit, *οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίγνοντο. παίδων χοροὶ συνελθόντες ὑπ' αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ* — designantur homines symphoniaci, tertius igitur in recensione mea chorus — *οἱ μὲν ἐχόρευον* — hos quidem primo loco posui; habemus hic chorum illum iuvenum virginumve et saltantium et canentium —, *ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν* — hi proprie appellandi sunt, sit venia vocabulo novato, *ὑπορχησταὶ* iidemque sunt Homerici illi *κυβιστητῆρες* — Atque sic quidem hyporchemata, non alia quaelibet poesis melicae genera comparata fuisse diserte testificatur idem Lucianus, pergit enim illico: *τὰ γοῦν τοῖς χοροῖς γραφόμενα τούτοις ᾄσματα ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο καὶ ἐμπέπληστο τῶν τοιούτων ἡ λύρα.*

In carminibus hyporchematicis a primo illo ac, quantum probabili conjectura assequi licet, maiore choro decantatis, quascunque poeta res nobilitaverat, eas, si modo aliquatenus poterant adumbrari, gesticulatione indicarunt vel imitatione illustrarunt vel reapse in conspectu posuerunt subsaltatores choro illi adstantes, quorum artificia adeo consummata sunt, ut ab Athenaeo (I. p. 15 D) iactaretur: *ἡ τοιαύτη ὄρχησίς ἐστι μίμησις τῶν ὑπὸ τῆς λέξεως ἑρμηνευομένων πραγμάτων* (cfr. cap. I. extr.). Ii quidem artem saltatoriam profitebantur: chorum contra, pariter ac choros tragicos, comicos, alios, efficiebant cives Graeci, qui magis minusve tantum, quantum esset liberalis omnium Graecorum eruditionis, in saltando consequerentur. In priore loco nunquam non habebantur saltatores illi, qui delecti erant, quamvis numero pauci essent, non chorus: ab iisdem ut indoles, sic nomen totius generis tractum est, eorundem unice fere habetur ratio, si hyporchematicarum saltationum apud veterum scriptores mentio fit, veluti apud Athen. XIV. pag. 628 D. ib. 630 E[16]). Item apud Plut. quaest. conviv. IX. 15. c. 2 § 11, qui locus imprebe depravatus est, *τὴν μὲν ὄρχησιν εἶναι*, ut ait Simonides Ceus, auctor sane locupletissimus, *ποίησιν σιωπῶσαν, τὴν δὲ ποίησιν πάλιν ὄρχησιν φθεγγομένην κτλ.*[17]). Paulo post quam locos nonnullos e Simonideis hyporchematis excerpserat, pergit Plutarchus (§ 15): ‚haec carmina (scil. hyporchematica) provocant pedes manusque atque adeo totum corpus quasi funiculis quibusdam cantu suo trahunt et intendunt, ita ut his recitatis cantatisque quiescere et continere se vix queat.' Neque, si vere Athenaeus hyporchematicam saltationem esse verborum imitatricem interpretatus est, dubium esse potest, quin imagines, quae hyporchematis crebro deprehenduntur insertae, veluti quales Plutarchus l. c.[18]) memoriae commode tradidit canis Amyclaei, equi celeris, canis cervam venantis vel simile quid, adumbrarentur a saltatoribus et illustrarentur[19]). Ne plura, constat a Platone divisam esse saltationem omnem in duas partes; una, quae sit mimica, exprimi ac repraesentari poetarum carmina, ita tamen ut liberalitati et

---

[15]) Haec causa mirum quantum similis est ei, qua Luciano auctore (§ 30) factum sit — *τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν* (cfr. pag. 4) — ut cantus ac saltatio ab iisdem hominibus factitari desinerent: facillima est suspicio Lucianum ut si non omnibus, at multis certe locis illius libri perstrinxisse res Romanas, sic hoc loco respexisse ad Romanos, non ad Graecos ideoque Livium ipsum ante oculos habuisse.

[16]) cfr. Chr. Muff, ‚über d. Vortrag d. chorischen Partieen bei Aristophanes' pag. 131.

[17]) cfr. Schneidewin. Simon. Cei carm. reliq. ad hunc locum et Steinmann, Petropoli 1845.

[18]) Bergk. C. poet. lyr. Gr. (edit. III.) Simon. 29. 30. 31.

[19]) Forsitan, si audacius quidem suspicari licet, saltatorum habitus vestitusque adaptari soleret ad naturam habitumque eorum, qui in hyporchematis primatum tenerent, seu ipsi laudarentur seu in fabula hyporchemati inserta inducerentur agentes.

magnificentiae mentis non noceatur; alteram pertinere ad verecundum corporis habitum, agilitatem ac venustatem. Atque ad illam quidem classem revoco saltationem, qua ὑπορχουμένους usitatos esse putemus: τῆς ὀρχήσεως ἄλλη μὲν, inquit philosophus de leg. VII. pag. 795 E., Μούσης λέξιν μιμουμένων τό τε μεγαλοπρεπὲς φυλάττοντας ἅμα καὶ ἐλεύθερον. Ad chori autem numerosum motum videntur spectare, quae de altera parte commemorata sunt.

Quod utraque saltandi species, gesticulatio et modestior et actuosior, in hoc genere coagmentata et copulata vel quod tres simul, ut ita dicam, chori in eodem carmine decantando adhibiti sunt, eo potissimum hyporchemata distinguuntur quum ab aliis lyricis generibus tum vel maxime ab eo, quod vulgo proximum, ne dicam par hyporchemati ducunt, a paeane[20]). Is enim, quum decantatur, non tres, sed duos tantum requirit choros, symphoniacos homines, sive fidicines sive tibicines fuerunt, et cantores, qui et ipsi saltent: κυβιστητῆρας illos plane ignorat: paeanis saltatio, quippe quae a cantoribus factitetur, pro ea, qua paean omnino esse clamitatur, quiete et modestia me iudice proxime accedit ad eam saltationem, quam chori hyporchematici maioris fuisse suspicati sumus. In hoc discrimine posita sunt aliarum hyporchematis a paeane distinctionum quasi semina et causae; inde pellucere per hyporchimaticum genus festivitas quaedam videtur ac mira levitas diffundi; inde vehementius animi eorum, qui audiunt, inflammantur et concitantur; procul abest, quae paeanum imprimis propria fuisse dicitur, severitas ac dignitas. Ceterum eundem saltandi modum, quem in paeane inesse diximus, plus minus sibi adsciverunt reliqua excepto dithyrambo genera melica, simodo saltationem receperunt, eademque respuerunt omnem subsaltationem.

Nunc vero, priusquam aliam quaestionem exordiamur, liceat, quemadmodum in nomico genere (pag. 44) fecimus, sic hyporchematis notionem paucis stabilire iis, quae adhuc exposuimus[21]), in unum collatis: inde credo satis apparet hyporchema fuisse id carminum melicorum genus, quod multa saltatione instructum cantaretur a choro saltante, dum saltatores nonnulli a choro diversi mimica quadam actione exprimerent carminis sententias.

Quoniam e tribus, quas saepius dixi, agentium partibus duas saltatorum et cantorum absolvi, superest, ut verba nonnulla addam de tertia, de symphonia hyporchematis attemperari solita. Prima quidem aetate, ut musicae antiquissimae ratio per se manifestat, cithara sola fere in iis pulsata esse videtur. Homerus scilicet, quemadmodum in omnibus rebus vel tenuissima temporum antiquissimorum lineamenta non minus accurate quam scite adumbravit, sic in arte musica, ut equidem arbitror, priorum hominum usum religiose expressit; atque is quidem tibias, quas barbaris solis asserit (cfr. Athen. I. pag. 16 B.), utpote originis Asianae, plane removit ex hyporchemate suo, quod ab uno citharoedo cantatum certe de industria neque sine idonea ratione fecit. Hoc loco, quum occasio peropportuna oblata sit, facere non possum, quin paullisper digressus ad vexatissimum illum versiculum Hom. Il. XVIII. 604, de quo supra (pag. 6) disputavimus, conjecturam, quamvis Athenaei auctoritate non munita sit, depromam. Haud scio an haec fuerit causa, qua perductus Aristarchus illum versum exstinguendum esse arbitraretur: vidit enim in hyporchematis Graecis plerumque usitatam et dominatam esse tibiam, ideoque lyristam, cuius apud Homerum mentio fit, utique propulsari maluit quam poetam errore, ut is quidem credidit,

---

[20]) Hic imprimis laudandus est A. Boeckhius (de metr. Pind. p. 201 n.), qui in saltationis genere scite posuit discrimen, quod inter paeanes et hyporchemata, species arctissime connexas, interesset: ‚paeanes, inquit, aut simpliciter canebantur, cuius rei exemplum tradit Paus X. 24, aut canebantur cum saltatione a choro, sine actione mimica scenicave opinor; sed hyporchemata agebantur a quibusdam chori saltatoribus, dum reliquus chorus tripudiaret'.

[21]) De eadem fere hyporchematum ratione, quae poetae scenici, velut Sophocles, Aristophanes (cfr. H. Schmidt, l. c. pag. 356, Chr. Muff, l. c. pag. 22, sq. et 132) dramatis suis admiscuerunt, optimum visum est infra in capite quarto disputare.

teneri. Homeri certe auctoritatem secutus est Callimachus doctissimus ille poeta, qui (hymn. in Del. 312) finxit Theseum *γέρανον*, haud dubie hyporchematicum quoddam genus, *περὶ βωμὸν ἐγειρομένου κιθαρισμοῦ* saltantem (cfr. Plut. Thes. 21). — Postea vero tibicinium, quum apud Graecos magis magisque invaluisset, hyporchematis conciliatum est idque brevi temporis spatio pervenit ad principatum. Nimirum contigit arti hyporchematicae, ut ea ipsa aetate, qua dicunt instauratum esse secundum musicae apud Lacedaemonios statum, ergo eadem qua ars tibina simul cum universa poesi chorica apud Graecos mirum quantum amplificata est, a poetis, qui tum erant, certatim excoleretur; non dico poetas illos tum demum hyporchema ex angusto Creticarum urbium usu exemisse, sed id dico iampridem exemptum tum provexisse in commune Graecorum commercium. Utraque ars, et hyporchematica et tibina, id dumtaxat temporis uti mutua quadam coniuncta necessitudine, sic mutuo nutrita est impulsu. Quare non mirum, quod ipsa arte auloedica nobilitantur antiquissimi, quos novimus, poetae hyporchematici. Atque profecto quidem tibiae multisonae citharis, si quid video, multo aptiores erant, quae hyporchematum tripudio turbulentissimo succinerent: neque enim satis congrua est hyporchematum incitationi lyristarum Musa mansueta, quae ab nimio animi impetu abhorreat, et aliarum quoque exsultantium actionum mimicarumque saltationum indoles tibias solet tueri. Unde factum est, ut vel separatum quoddam tibiarum genus, quod *δακτυλικῶν* (Poll. IV. 82) vel *ἐμβατηρίων* (ibid. 10) nomina gestabat, hyporchematis saepius inflari soleret. — Illa quidem aetate, qua Graecorum artes litteraeque ad summam perfectionem pervenerant, si non una imperitavit, at certe praevaluit tibia in arte hyporchematica. Quam nimiam potentiam angustioribus limitibus circumscribendam esse censuit Pratinas Phliasius (Bergk. C. L. frgm. 1); diserte compellavit ille dithyrambicam rationem, sed aliorum etiam generum studium tibicinii quamvis silentio perstrinxit, hyporchemata certe denotavit, quippe quum in ipso hyporchemate morem illorum poetarum, quos carpsit, secutus crimina ista iactaret in tibiae cantum. Neque tamen, etiamsi auletae insolentius se efferrent superbiusque iactarentur, usui citharae tum prorsus interdictum est: claris verbis demonstrat Lucianus scribens (§ 16) *ἐν Δήλῳ δέ γε ...παίδων χοροὶ συνελθόντες ὑπ' αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ οἱ μὲν ἐχόρευον κτλ* (cfr. pag. 8). — Ut brevi dicam, quo modo hyporchematum res symphoniaca se habuisse putanda sit, prius adsciscebantur tantummodo fidicines, postea tibicines aut soli succinuerunt aut, id quod probabilius est, sicuti in aliis poesis melicae generibus usu venisse constat, cum citharis concinuerunt, quae societas vocatur a Graecis *συναυλία* (cfr. Athen. XIV. pag. 618 A.).

Haec quidem in universum de hyporchematis indole disputasse sufficiat: singula, quae restant, erit nfra, prout feret disputationis nostrae ratio, locus attingendi. Nunc vero lubet disserere

III.
De hyporchematis origine et incrementis.

Unde hyporchemâ traxerit originem quae veteres tradiderunt, ea in diversam discedunt sententiam. Evasit, ut aiunt nonnulli, ex pyrrhicha aliisve bellicrepis, quae vividissima uterentur gesticulatione, saltationibus: has vero priscis Graecis fere omnibus ab antiquissimo tempore familiarissimas fuisse nisi aliunde sciretur, probaret formula illa ‚*δηΐῳ μέλπεσθαι Ἄρηϊ*', usu certe Antehomerico tam trita, ut apud Homerum ipsum (Il. VII. 241) a proprio sensu deflexa deprehendatur. Posterior quidem Graecia saltationes eiusmodi armatas, quum alias sive artificiosiores sive minus periculosas invenisset, factitare omnino noluit adeoque remisit gentibus, quae ad altiorem cultus et humanitatis gradum adscendere neglexerunt[22]), veluti

[22]) Rem ita se habere, ut dixi, testari mihi videntur quum alii scriptores tum imprimis Xenophon: nam saltationes, quas is commemorat (anab. VI. 1, 5 sqq.), armatae a quibusnam exhibitae sunt nisi ab hominibus, qui erant gentis agrestis humanitatisque politioris plane expertis?

Cretensibus, Thracibus, Thessalis[23]), Arcadibus, in quo recessu illae ad postremam usque Graeciae aetatem permanserunt.

Ad pyrrhicham hyporchema revocandum esse disertis testimoniis affirmat non modo Schol. ad Pind. Pyth. II. 69 ‚ἔνιοι μὲν οὖν φασι πρῶτον Κουρῆτας τὴν ἔνοπλον ὀρχήσασθαι ὄρχησιν, αὖθις δὲ Πύρριχον Κρῆτα συντάξασθαι, Θαλήταν δὲ πρῶτον τὰ εἰς αὐτὴν ὑπορχήματα [γράψαι vel ἀνευρεῖν' vel tale quid suppleas], sed etiam Proclus sive is, quem ille exscripsit: ‚εὑρετὰς δὲ, inquit, τούτων (scil. ὑπορχημάτων) φασὶν οἱ μὲν Κουρῆτας, οἱ δὲ τὸν Πύρρον τὸν Ἀχιλλέως· ὅθεν καὶ Πυρρίχην τι εἶδος ὀρχήσεως λέγουσιν'. At vero pyrrhicha nullum in Graecorum litteris locum sibi aperuit, ac ne id quidem satis pro certo scitur, utrum pyrrhichistae tripudiantes cecinerint an tripudiaverint ad tibias assas, cantu exsulante. Quapropter parum verisimile est hyporchema, quo genere Graecorum litteras propemodum abundasse constat, prognatum esse ex pyrrhicha, quam illae plane ignorabant. Quamquam de pyrrhichae sterilitate addubitare videtur testimonium Aeliani var. hist. III. 8 narrantis: Φρύνιχον Ἀθηναῖον στρατηγὸν εἵλοντο... ἐπεὶ τοῖς πυρριχισταῖς ἔν τινι τραγῳδίᾳ ἐπιτήδεια μέλη καὶ πολεμικὰ ἐξεπόνησεν κτλ. Sed male Aelianus permutavit Phrynichos cognomines; ne verbo quidem ex veteribus auctoribus quisquam commemorat aut Phrynichum tragicum poetam, Polyphradmonis filium, unquam electum esse praetorem aut ducem illum, qui sub belli Peloponnesiaci exitum nomen Atheniensium sustentavit, versatum esse in re scenica; tale quid plane inauditum est. Aeliani illud falsum esse et ex vano haustum nemo non videt: omnino in his rebus ad Aeliani unius auctoritatem confugere quam periculosum sit inter omnes constat. Neque maiorem fidem adscribi velim scholiastae ad Aristoph. ran. 154 a Cinesia poeta dithyrambico pyrrhichas esse compositas referenti: quam multum ei tribuendum sit, inde intelligitur, quod ipse poetae nomen esse fictum putavit, ὅτι ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει ἐχρήσατο· hoc scholion sane vilissimum ille nullis adminiculis conscribillavit, sed suopte ingenio excogitavit. — Qualis fuerit pyrrhicha, nunc indagari vix potest: nomen solum, non res ipsa ad nostram aetatem pervenit: nihil enim expedit illud Athenaei perquam tenue (XIV. pag. 629 C): ‚musica ad corporis exercitationes adhibita veteres homines fortitudinem sibi conciliasse et ad motus militares exercitatos esse cum cantu; unde agi coeptas esse pyrrhichas cet.' Depingit quidem elegantissime pyrrhicham Apulejus Milesius met. X., at pleraque certe de suo addit, neque major aliis, qui de eadem scripserunt, habenda est fides. Subortam esse autem pyrrhicham ex antiquissimis Cretensium saltationibus sacris satis luculenter probatur opinione admodum pervulgata, quae Curetibus pyrrhichae inventae laudem asserit. Quod alii Pyrrhichum quendam Lacedaemonium[24]) tanquam ἥρωα ἐπώνυμον[25]), alii Pyrrhum, Achillis filium, inventorem fuisse ab iisque nomen ductum esse volunt, nihil prorsus attinet: haec sunt mera somnia grammaticorum etymis, ut solent, improspere ludentium. Idem cadit in tertiam quartamve denominationem ἀπὸ τῆς πυρᾶς — circum Patrocli rogum tradunt alii saltasse Achillem — vel ἀπὸ τοῦ διαπύρου τῶν ὀρχουμένων tractam[26]). Utcumque est, id

23) Thessali, ut tradit, Luc. l. c. § 14, ..τοὺς προστάτας καὶ προαγωνιστὰς αὐτῶν προορχηστῆρας ἐκάλουν· iidem, si militem quendam, qui manu strenuus fuerat, laudare volebant, in sepulcro inscribere solebant eum fuisse ‚εὖ ὀρχησάμενον τὰν μάχαν'.

24) Aristoxenus apud Athen. XIV. pag. 630 E ait declarare etiam ipsam saltationem, quum sit bellica, Lacedaemonii hominis esse inventum.

25) Ex his duabus, quae de pyrrhiches inventoribus circumferebantur, narrationibus vestigia quaedam in illud posteriorum commentum coaluerunt, quod Pausanias III. 25. 2. servavit fuisse autumans, qui εἶναι θεὸν Πύρριχον τῶν καλουμένων Κουρήτων finxerint.

26) Ut addam, quid de nominis origine mihi videatur, non dubium est, quin illi rectum viderint, qui dicant vocabulum esse formam deminutivam a πυρσός (fax) profectam, ita ut πυρρίχη sit ‚saltatio facibus praelucentibus factitata' (Curt. gr. Etym. pag. 655 coll. pag. 269 No. 385). Neque est quod mireris, si teneas aliam esse vim nominis, alium usum. Ut res ipsa ad ultimam hominum memoriam revocanda est, ita

explorato habeas: quemadmodum liberalem quamvis artem Graeci rebus divinis obnoxiam reddere soliti sunt, ita Cretenses ad sacra deorum indigenarum exornanda saltationes armatas adhibuerunt. Venerati sunt Cretenses imprimis Iovem atque in eius sacris campus latissimus erat apertus saltationibus bellicrepis. Iovis vero, qui cognominabatur *Κρηταγενής*, natura toto, ut aiunt, coelo distabat a Iove, qualem vulgaris Graecorum opinio fingebat: inter illius et Olympici, Dodonaei numen tantum intercedebat discrimen, quantum, ut simile proferam exemplum, inter Dianam Ephesiam et Graecam. Quod mirari vix subeat, quoniam ista Iovis sacra translata sunt in Cretam ex Asia minore, ubi cultus ille simillimus Cybeles matris vigebat: ceterae Graeciae partes iis praeclusae erant. Rem sic se habuisse muniunt Curetes et quae de iis veteres tradunt (Strab. X. pag. 718 sq.). Quum Curetes, quos pyrrhiches colentes studiososque fuisse omnes uno ore consentiunt, Iovis flamines, non Apollinis perhibeantur, nego pyrrhichen primitus inservisse Apollineo cultui, sed eam Iovi soli Cretensi vindico. Itaque pyrrhicham et hyporchema ab primo ortu secreta fuisse satis elucet. Ceterum, quum Iovis Cretagenis cultum, qui summo numine satis indignus esset, omnino Graeci abominarentur eiusque rationem pro morum gravitate posterioris aetatis nimis orgiasticam fastidirent, aliquid ab eo delibatum esse ad aliorum numinum sacra perpetranda vix credibile est.

Quae quum ita sint, facere non possumus, quin astipulemur opinioni eorum, qui approbant hyporchemata emanasse e paeanibus aut communi saltem vinculo cum iis coniuncta fuisse. Hanc quidem opinionem commendat Menander de encom. I. 1 *τοὺς εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνους* dividens in paeanes et hyporchemata. Consensit cum eo Plutarchus de mus. cap. IX. et X., quo loco dubitatione vexatus est, num poetae quidam composuerint paeanes an hyporchemata. Ad quam ambiguitatem haud dubie propulsus est Plutarchus, quum paeanes et hyporchemata mira quadam indolis et compositionis similitudine arctissime coniuncta videret; eadem carmina in nonnullis rebus a se disiuncta esse ipse sensit; qua de causa, ut discriminis aliquid inter ea intercessisse aetatis illius hominibus approbaret, confugit ad Pindarum, quem poetam et paeanica et hyporchematica carmina composuisse pro certo habuit. Hanc sane argumentationem, quum nobis quidem exploratum, immo contritum sit discriminis aliquantum inter genera illa interpositum esse, a tirone quodam tironibus traditam esse dixeris neque homine docto vix dignam. Sed quum illa tempora harum rerum magna inscitia fuerint, quid mirum, quod notae discernentes quae qualesque fuerint, Plutarchum plane fugit? Ceterum, ut ingenue fatear, negaverim hyporchema quasi filiolum ex paeane parente natum esse adeoque, ut alii volunt, degenerasse gravitate eius exuta: immo ambo semper mihi visa sunt e communis matris gremio edita esse, quandoquidem simillima, attamen inter se varia, ut ratio est germanorum, ora atque mores prae se ferunt[27]). Necessitatem igitur minime impugno. — Utraque species ad res Apollinis sacras factitandas redacta est, sed altera alteram numinis provinciam procurabat ideoque naturam ab altera satis diversam induebat. Paean, id quod alio loco demonstravimus, servabat dignitatem Apollineo cum maxime cultui propriam et, quae par erat supplicationibus, severitatem; quod autem tribuebatur eidem Apollini patrocinium hilaritatis, laetitiae paene exsultabundae, id administrabat in rebus poeticis hyporchema. Paean igitur insitam numinis averruncantis naturae gravitatem exprimens invocavit Apollinem *οὔλιον*, *ἰατρόμαντιν*, hyporchema Apollinem festivitatis ducem animosque hominum arte musica, poetica, saltatoria exhilarantem ac laudavit, ut Pindari[28]) verbis utar, quae videntur e carmine hyporchematico desumpta esse, ‚*ὀρχηστὴν ἀγλαΐας ἀνάσσοντα Ἀπόλλωνα*'. Indidem facile evenire potuit, ut hyporchematicum genus paeanibus prius ab Apollinis numine primitivo ad numina alia transferretur: ita Pratinas carmen hyporchematicum condidit in Bacchum, Bacchylides in

nomen repetendum ab aetate postera, qua ad res Bacchicas translata est pyrrhicha: hac quidem saltantes pro clypeis et hastis gestabant thyrsos et lampades (cfr. Athen. XIV. 631 A; Bode, hellen. dichtkunst II. 2 pag. 336).

[27]) cfr. pag. 9. n. 20.

[28]) Bergk. C. L. frgm. 125.

Minervam Itoniam, Pindarus composuit Thebanis ob solis defectionem hyporchema, in quo Solem invocavit, quin etiam de Hierone rege idem poeta hyporchema scripsisse fertur, ita ut quaestio nobis movenda sit, num laudandis diis solis an et diis et hominibus hyporchemata inserviverint.

Sed redeat oratio, unde digressa est. Procreatum esse dicitur hyporchema apud Cretenses. Si verum est hyporchema in hac insula succrevisse ac pubuisse, in eius indolem conformandam, quamvis exiguum sit, tamen aliquid valuisse saltationes illas armatas, quo in numero pyrrhicha est, vix quispiam infitietur: neque tamen magna in universum earum vis videtur fuisse. Tenendum est hyporchemata translata esse a Doribus, quae gens, ut satis constat, rerum novarum studio non ita infecta, immo maiorum consuetudinis, praecipue in rebus sacris, tenacissima fuit. Dores igitur saltationes, quas magna florentes auctoritate viderant utpote antiquitus constitutas, a Cretensibus receperunt, sed ita receperunt, ut quidquid ipsis arrisit, delibarent, alia, quae a Dorum gravitate aliena essent, missa facerent. Si quas caerimonias e Creta mutuati sunt, eas adaptarunt ad religionem Apollinis, non quod iis ipsi magnopere delectarentur, sed quia Apollini, quem ab hac ipsa gente maxime cultum esse constat, tribuebant patrocinium omnis hilaritatis et, quae eam exprimerent, artium. Jam vero tripudium nequaquam abhorruit ab Apollinis natura: neque enim paean, quem proprie Apollineum esse omnes uno ore consentiunt, saltationem[29]) respuit. Huc adde, quod universi Graeci erant saltandi mirifice studiosi. Id satis docent tot illae saltationum species, quas Poll. IV. 99, Athen. I. pag. 22 B, XIV. pag. 629 C D, pag. 630 A. tradiderunt: quarumcunque memoria apud singulos veterum scriptores mota est, eas in singularem librum, quem inscripsit ‚de orchestra' (vid. Tom. V. pag. 189—272), congessit Meursius: saltationum varietates pro ea, qua erat doctrina et assiduitate, collegit ille vir doctus — vix credas — ad ducentas. Ipsi veteres scripserunt de arte orchestica, veluti Aristoxenus ‚περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως' (Bekk. an. Gr. I. pag. 101, 20), Aristocles ‚περὶ χορῶν', ex quo opusculo commemoratur vel octavus liber apud Athen. XIV. pag. 630 B, qui ex illo ipse multa mutuatus est (cfr. I. pag. 22 A, XIV pag. 620 D al.), porro Pylades ‚περὶ ὀρχήσεως' (ibid. I. pag. 20 D), Lucianus, Libanius: haud paucos fuisse scriptores, qui hanc materiam retractarent, docet ipse Lucian. de saltat. § 33: *πολλοὶ πρὸ ἡμῶν περὶ ὀρχήσεως συγγεγραφότες τὴν πλείστην διατριβὴν τῆς γραφῆς ἐποιήσαντο πάντα τῆς ὀρχήσεως τὰ εἴδη ἐπεξιόντες καὶ ὀνόματα αὐτῶν καταλέγοντες καὶ οἷα ἑκάστη καὶ ὑφ' ὅτου εὑρέθη.*

Atque inter omnes Graecas gentes maxime excolendae saltandi arti praecipuam curam navarunt Cretenses, idque iam inde ab antiquissimo tempore factum esse cognovimus ex Hom. Il. XVI. 617, XVIII. 590, unde Athenaeus idem concluserat scribens (V. pag. 101 B) *τοῖς μὲν οὖν Κρησὶν ἥ τε ὄρχησις ἐπιχώριος καὶ τὸ κυβιστᾶν.* Cretici appellabantur auctore Simonide (frgm. 31) actuosae et alacris cuiusdam saltationis modi; Sosibius Laco (ap. schol. ad Pind. Pyth. 2, 69) itemque Athen. l. c. docuerunt omnia hyporchematica carmina et esse et haberi Cretica, quod ut ita statuerent, adducti esse videntur non tam quod rei metricae rationem habuerunt quam quod originem et patriam illorum carminum respexerunt. Conferas velim praeterea Sapph. frgm. 54 et Bergk. C. L. fragm. adesp. 121, quod utrumque eodem pertinet, saltare familiarissimum fuisse Cretensibus. Addendus est denique Lucianus l. c. § 8 ‚*μετὰ Κρητῶν οἱ κράτιστοι ἐνεργῶς ἐπιτηδεύσαντες αὐτὸ ἄριστοι ὀρχησταὶ ἐγένοντο, οὐχ οἱ ἰδιῶται μόνον, ἀλλὰ καὶ βασιλικώτεροι καὶ πρωτεύειν ἀξιοῦντες*'. — Omnia vero si complectimur, quae in hanc rem proferuntur, elucet saltationes in Creta peractas esse ab iis, qui tripudiis et cantibus exsultarent ac religioso quodam furore percussi de suopte statu deiicerentur aut deiectos se esse forte simularent. Haec natura ex mutuo, quo cum finitimis Asiaticis populis usi sunt, commercio iis obtigit eademque, quamvis satis mitigata, tempore posteriore resedit. Illae saltationes ut ad ultimam ascendunt hominum memoriam, ita nunquam aberant a rebus divinis, immo eas prosequebantur earumque incrementis ipsae nutriebantur: in ipsa Graecorum quasi infantia effloruerunt, at simplicitate quadam primitiva insignitae atque Graecorum illo

[29]) Scribit recte Athen. XIV. pag. 631 D ‚*τὸν παιᾶνα ὠρχοῦντο ὁτὲ μέν, ὁτὲ δὲ οὔ*'.

et moderationis et elegantiae studio temperatae. Id ipsum cadit in hyporchema, cuius nervum fuisse saltationem supra eruimus.

Creticum hyporchema communicasse cum Lacedaemoniis ideoque, quum ab iis tum omnis chorica poesis conderetur, Graeca civitate donasse dicitur Thaletas Gortynius: eum non primum illa invenisse[30]), sed inventa apud Graecos tantum modo divulgasse non modo ex iis, quae adhuc explicavi, mihi videtur consequi, sed etiam per se intelligit potest. Thaletas igitur antiquissimus inter Graecos fuit poeta lyricus, in cuius carminibus grammatici hyporchemata obvia deprehenderunt. Summae idem erat in arte musica tum constituenda tum amplificanda auctoritatis: eximie ipse eam illustravit novis, quae iam consumptis substitueret, incrementis conquisitis et patefecit viam, qua, qui post secuti sunt vel musici vel poetae, artem suam quisque in latissimos campos usque ad illud tempus reclusos deducerent. Auctor fuit alterius, quam vocant, *καταστάσεως* musicae artemque tibinam, quae apud Graecos neglecta jacuit, aut primus in Doriensium musicam introduxit aut, quae opinio verisimilior est — norunt enim omnes, quam larga manu Graeci tribuerint laudem inventionis — in conditionem cithara si non superiorem, certe ei comparem provexit. E generibus lyricis paeanem, ut iam alio loco demonstratum est, magno incremento ditavit tibicinio ad eum applicato, quo instituto carminis natura multo vividior et concitatior evasit. Protulit denique hyporchematicum genus e Creta desumptum, de quo genere merito dubitari potest plusne ipsum rei musicae Dorum an ipsi res musica debeat. Auctore igitur Thaleta, quoniam is fuit, qui tibicinium Apollineis omnino rebus sacris conciliavit, ut in paeane factum esse modo diximus, sic in hyporchematis tibias inflari coeptas esse partibus cithararum, quae ad illam aetatem solae pulsarentur, in arctius contractis satis probabile est. Ceterum ad ea, quae modo commemoravimus de Thaletae hyporchematis, nihil refert, num Plutarchus (de mus. c. 9 pag. 1134 C) tradat Thaletam fuisse scriptorem paeanum: nam quam exigua sit in libro de musica conscripto fides Plutarchi, si suopte ingenio utitur neque, quae prodit memoriae, diserte locupletium auctorum testimoniis munit, notissima res est. Huc accedit, quod idem Plutarchus paulo post (ibid. c. 10) suo semet, ut aiunt, gladio iugulat: nam docet ‚de Thaleta dubium esse, num paeanes scripserit,' et docet ita, ut ii, qui dubitationem moveant, in locum paeanum hyporchemata suppositurі fuisse videantur. In hoc dissensu, sicut in plerisque rebus controversis, utrique parti veri particula est adiuncta: Thaletas utramque simul speciem complexus esse videtur.

